

nere; nam vel *non existentia* existentiam actualem tantum excludit et possibilitatem significat, vel etiam ideam possibilitatis existentiae rejicit; primo casu *non existentia* ad possibilitatem reducitur, secundo ad impossibilitatem, et in nullo categoria esse potest; dictum est enim, primam categoriæ conditionem esse, ut alia in altera non includatur.

Justa Rosmini sententiam tria sunt categoriarum genera, scilicet: categoriæ *ontologicæ*, *dialecticæ*, et *ideologicæ*; primæ classis sunt *realitas*, *idealitas* et *modalitas*; secundæ omnes relationes et posibles modi identitatis inter prædicatum et subjectum; tertiæ denique omnes universales conceptus, quatenus significant et explicant diversos enunciabilitatis universæ modos, hoc est, quinque Porfirii prædicabilia. Hanc autem Rosmini theoriam categoriæ notioni repugnare, facile intelligitur, si observetur:

1.^o Ontologicas categorias nec ad continendum, nec ad omnes entis realis classificandum determinationes sufficere; et alias categorias *realitatis*, *idealitatis* et *modalitatis*, notionem vagam, indeterminatam, insufficientem, et valde confusam involvere. Insuper quod ad *realitatem* attinet, ex alio etiam capite rejici debet; est enim *realitas*, sicut *ens*, transcendentalis conceptus, qui principium categoriæ, minime autem categoria esse potest.

2.^o Categoriarum dialecticæ et ideologicæ, ex ipso Rosmini ore, non ad ens reale et objectivum referuntur, sed ad ens tantum, quatenus relationem prædicati cum subjecto enunciat; *ens* autem hoc sensu acceptum categoriam constituere nequit; cum enim categoriæ, et sint, et esse debeant *suprema rerum* genera, earum rationes reales et objectivas in se continere, non autem prout sunt in intellectu nostro, necesse est; cum categoriæ, denique, diversos essendi, non diversos judicandi modos exprimere debeant, clarissime patet, Rosmini categoriis dialecticis et ideologicis conditionem *categoriæ* notioni essentialem deficere, et ideo itali philosophi theoriam omnino esse rejiciendam.

ARTICULUS SECUNDUS

De universalibus.

§ I

De universali in communi.

Universale, si vis nominis attendatur, est unum versus alia; si res significata, est unum respiciens multa, sive ea respiciat ut causa, sive per modum repræsentationis aut cognitionis, sive ut natura, quæ, quatenus *est, in multis et de multis potest prædicari*, ut natura humana, quæ multis inest individuis, de quibus prædicatur, dicitur universalis in *essendo*. Atque hoc est, de quo hic agitur.

THESIS I.^a

Dantur naturæ universales, quæ respondent vocibus et conceptibus universalibus nostri intellectus.

Prob. Universale est unum in multis: atqui natura, quæ voce universali significatur, vere est una in multis: ergo. Prob. min. Vere est in multis, quod vere affirmatur illis inesse: atqui cum veritate affirmatur, naturam ipsam realem multis inesse: ergo. Prob. min. in his duabus propositionibus: *Petrus est homo: Paulus est homo*, aliquid unum, nempe, *homo*, affirmatur de multis: atqui *homo* in præfatis propositionibus non significat vocem vel conceptionem mentis, alsum siquidem est, quod Petrus sit vox *homo*, vel purus conceptus mentis: ergo significat et accipitur pro ipsa natura humana voce *homo* significata: ergo ipsa natura humana est funa in multis ac proinde universalis.

2.^o Definitiones rerum res ipsas, et non voces aut mentis internos conceptus referunt et respiciunt: atqui definitiones, sicut et objecta scientiarum, non de singularibus, sed de

universalibus sunt; nec enim, cum triangulum, ex. g., definitio, aut puram vocem, aut mentis conceptum, aut triangulum singulare definitio: ergo.

Corollarium. Ergo rejiciendum Nominalium systema. Quandoquidem autumabant illi, universalia nihil esse aliud quam voces, quibus plura singularia simul et quasi collective significantur.

THESIS 2.^a

Universalitas extra mentem non existit, sed consequitur actum intellectus.

Prob. 1.^a pars. Omnis natura actu existens est singularis, essentia enim singularium est: atqui singulare opponitur universali: ergo universalitas non congruit naturæ prout in seipsa a parte rei existit.

Prob. 2.^a pars. Natura quævis, vel spectatur prout in singularibus existit, vel *secundum se*: id est, quatenus completitur prædicata essentialia et necessaria, ut *animal rationale scientiæ capax*, etc. respectu hominis; vel prout per intellectum abstrahitur a singularibus conditionibus, quæ ipsam in singularibus dividunt ac multiplicant: atqui universalitas naturæ non congruit prout in singularibus, ut probatum est, nec etiam si spectetur *secundum se*: ergo solum in intellectu. Prob. min. quoad secundam partem. Quod convenit naturæ secundum se, de ea prædicatur vel essentialiter, vel saltem necessario, ut *rationale* essentialiter, *admirativum* vero tanquam attributum necessarium de homine prædicantur, ac proinde affirmari potest de omni eo, qui habet illam naturam, nam quod essentialiter aut necessario homini, ex. gr., convenit, affirmari potest de omni homine: ergo, si universalitas conveniret naturæ spectatæ *secundum se*, conveniret omni habenti illam naturam, sicque possemus dicere, quod Petrus est essentialiter universalis, sicut possumus dicere, quod est essentialiter rationalis.

Corollarium. Ergo rejiciendum est Platonis systema,

quo adstruebat, naturas reales simul cum universalitate extra mentem existere. Natura enim quælibet per realem existentiam singularis fit.

Pro pleniori universalium notione,

Quæres 1.^o Quotuplex sit universale?

Resp. Duplex, metaphysicum et logicum. Universale *metaphysicum* est res seu natura, quatenus a singularibus per mentem abstrahitur. Ex hoc namque ipso, quod mens, relinquendo et non cogitando ea, quibus Petrus, Paulus, Joannes inter se differunt, naturam humanam tantum, in qua conveniunt, cogitat, ex vi *hujus modi* cogitandi humanitatem hæc una redditur, ac proinde universalis. Unde universale metaphysicum dici potest: *unum abstractum vel præcisum a multis*. At universale *logicum* tunc proprie exurgit, quando natura, a singularibus abstracta, concipitur ut capax multis inesse ac de illis prædicari; ut dum natura humana concipitur esse posse in multis individuis, de quibus proinde quasi inferioribus vel subjectis prædicationis enunciari potest, ut *homo* de Petro, Paulo, Joanne. Unde definiri solet: *unum aptum inesse multis ac de illis prædicari*.

Quæres 2.^o Quomodo efformetur universale?

Resp. Universale metaphysicum *abstractione* efformari, qua mens, quasi removendo ea, in quibus plura differunt, id solum accipit vel cogitat, in quo conveniunt et assimilantur. Unde *fundamentum* universalis metaphysici est ipsa convenientia vel similitudo, quæ inter plura, ex quibus abstractio fit, intercedit. At universale logicum, præter abstractionem, requirit collationem quamdam respectu inferiorum, de quibus prædicari potest. Unde universale logicum posterius est natura universali metaphysico; ex eo enim, quod natura concipitur ut una, concipi potest cum aptitudine ad essendum in multis, ac de illis tanquam inferioribus prædicari. Itaque, sicut rerum assimilatio est fundamentum universalis metaphysici, ita istud est quasi fundamentum proximum universalis logici.

Corollaria:

1.^m Ergo universale est concretum quoddam accidentale, in quo natura abstracta habet locum subjecti, et universalitas rationem formæ.

2.^m Ergo universale constat duplici elemento, uno reali, nempe, natura ipsa, quæ est aliquid reale in rerum natura existens, et altero ideali sive rationali, quod est forma universalitatis, quæ naturæ reali additur per operationem intellectus.

3.^m Ergo universale logicum consistit et constituitur formaliter per relationem rationis. Siquidem respectus ille sive ratio, quam universale logicum dicit ad inferiora, de quibus prædicari potest, non in rerum natura existit.

§ II

De Universalibus speciatim.

Ex dictis superiori paragrapho colligitur, tot esse universalialia logica, quot modis res aliqua concipi potest ut una et prædicabilis respectu aliorum, quæ concipiuntur ut ipsi subjecta et inferiora. Jam vero, quintuplici ratione id contingere potest. Nam quod est in multis, vel illis concipitur inesse ut quid essenziale, vel ut quid essentiæ adjunctum. Si primum, vel 1.^o ut tota essentia eorum, quibus inest, et sic dicitur *species*, ut homo respectu Petri et Pauli: vel 2.^o ut pars essentiæ, per quam res cum aliis convenit, et sic est *genus*, ut animal respectu hominis et equi: vel 3.^o ut pars essentiæ, per quam res ab aliis speciebus idem genus participantibus discernitur, et sic est *differentia*, ut rationale respectu hominis. Si vero agatur de re essentiæ adjuncta, vel ipsi adjungitur necessario, et tunc dicitur *proprium*, ut admirativum vel capax scientiæ respectu hominis: vel contingenter essentiæ rei adjungitur, ut ægritudo respectu ejusdem. Ergo quinque assignari debent universalialia logica, quæ exprimunt modos, quibus unum de multis potest prædicari,

nempe, *genus, species, differentia, proprium et accidens*. De quibus ut aliquid sigillatim dicamus,

a) *Genus* dicitur: *unum aptum inesse multis specie differentibus, ac de illis prædicari essentialiter incomplete*. Per priores particulas definitionis genus convenit cum reliquis omnibus universalibus: at per $\tau\theta$ *specie differentibus* a specie et differentia discriminatur; per $\tau\theta$ *essentialiter* a proprio et accidente, quæ extra essentiam sunt; per $\tau\theta$ *incomplete* a specie, quæ totam essentiam rei exprimit¹.

Genus illud dicitur *supremum*, quod nullum aliud supra se agnoscit, ut substantia; *infinitum*, si nullum infra se habeat, ut animal; *medium*, si et supra et infra se aliud habeat, ut vivens, quod supra se habet substantiam et infra animal. Quæ divisionis ratio, proportionem servata, congruit etiam differentiæ et speciei.

b) *Species* definiri potest: *unum aptum inesse multis numero differentibus, ac de illis prædicari essentialiter complete*. Dicitur *numero differentibus*, ut secernatur a genere; quamvis enim species, si sit suprema aut media, prædicari possit de pluribus specie differentibus, ut *animal*, quæ est species viventis, de homine et leone, at id ei non congruit, quatenus *species*, sed potius, quatenus genus quoddam est; quia species, qua talis, propriam universalitatem induit per respectum ad singularia, tamquam ad propria inferiora, et non ex eo, quod sub universaliori natura continetur, sive, ut ajebant Scholastici, constituitur formaliter universalis per respectum *superioritatis ad individua*, non per *respectum subjicibilitatis* ad genus. Homo, ex. gr., comparari potest,

¹ Antiqui Philosophi seu Scholastici, brevitatis in definiendo amatores, quod non semel obscuritatem parit, *genus* definiabant sic: *unum aptum inesse multis specie differentibus, et prædicari de illis in quid incomplete*. Verbum *quid* significat, genus *essentialiter* prædicari: *incomplete* autem, unam tantum partem essentiæ specificæ exprimere. Hoc præ oculis habeatur ad hujusmodi definitionum, quæ in scholasticorum libris frequenter inveniuntur, intelligentiam.

tum cum animali, cui subjicitur, tanquam una ex speciebus sub eo contentis, tum cum individuis, in quibus invenitur, et de quibus prædicari potest: ratio ergo universalis logici, et denominatio *speciei*, homini congruit propter secundum respectum, non propter primum, per quem superiora tantum respicit, non inferiora, quibus inest, et de quibus potest prædicari.

Correlativum ergo speciei, qua talis, est individuum, quod definiri solet: *illud, cujus proprietatum collectio eadem in alio non reperitur*. Proprietates vero accidentales, quibus unum individuum ab alio discernitur, hisce versiculis continentur; *forma, figura, locus, tempus cum nomine, sanguis, patria, sunt septem, quæ non habet unus et alter*.

c) *Differentia* est: *unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari essentialiter incomplete, sed per modum adjectivi*. Dicitur *essentialiter*, ut distinguatur a proprio et accidenti. Dicitur *incomplete*, quia non exprimit totam essentiam individui, ut species. Additur *per modum adjectivi*, per quod a genere et specie discriminatur, quæ substantive enunciantur, ut animal, homo; at differentia adjective, ut rationale. Cujus ratio est, quia concipitur ut quid determinans et contrahens genus, et speciem qualificatam reddens¹.

Notandum hic, genus, speciem et differentiam, dum de inferiori prædicantur, convenire quoad *rem* significatam, solumque discriminari quoad *modum* significandi. Dum dico, v. gr.: *Petrus est animal: Petrus est homo*: prima propositio eatenus est vera, quatenus *τὸ animal* non *solam* animalitatem, sed rem, quæ habet animalitatem, significat, ita ut ejus sensus sit: «Petrus est res, quæ habet animalitatem»; et sic in *τὸ res quæ* confuse includitur et significatur homo et Petrus: atque hac ratione constituitur identitas prædicati cum subjecto, quæ requiritur ad veritatem propositionis affir-

¹ Ideo Scholastici differentiam definiebant sic: *unum aptum inesse multis, et prædicari de illis in quale quid*, significans per verbum *quale* adjectivam ejus prædicationem.

mativæ. Cujus etiam signum est, quod si *τὸ animal* ibi significaret tantum id, quod exprimit, seu solam animalitatem, propositio falsa evaderet, quandoquidem ejus sensus tunc esset: «Petrus est res, quæ solam animalitatem habet». Itaque, in hisce universalibus aliud est id, quod *significant*, aliud, quod *exprimunt*.

d) Quadruplici ratione aliquid *proprium* nuncupari potest: 1.º *quod convenit omni, sed non soli*, ut habere libertatem convenit omni homini, sed non soli: 2.º *quod convenit soli, sed non omni*, ut esse medicum soli homini, sed non omni congruit: 3.º *quod convenit omni et soli, sed non semper*, ut cibum sumere omni et soli animali, sed non semper: 4.º *quod convenit et omni et soli, et semper*, ut esse admirationis capax respectu hominis.

Atque hoc postremo sensu accipitur *proprium*, prout unum ex universalibus constituit, et definiri solet: *unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari in quale necessario*; hoc est, per modum rei necessario essentiam consequentis, ac ex principiis ejusdem emanantis¹. Quæ consecutio seu emanatio, vel fit cum distinctione reali inter essentiam et proprietatem, ut potentiæ sensitivæ realiter ab animalis essentia distinguuntur; vel cum sola distinctione rationis, ut mortalitas vel finitudo a composito materiali realiter non distinguitur, quantumvis juxta nostrum concipiendi modum ipsum consequantur. Proprietas, quæ priori modo naturam sequitur, dicitur *physica* et *realis*, altera vero *attributalis* tantum vel *logica*.

e) *Accidens*, quatenus universale constituit, est: *unum aptum inesse multis, ac de illis prædicari per modum adjuncti contingenter essentiam consequentis*. Sic cum dico: *Petrus est sapiens*, est prædicatio per modum accidentis logici seu

¹ *Proprium* prædicatur adjective sicut et differentia: ideo Scholastici dicebant, *proprium* prædicari *in quale necessario*, hoc est, per terminum adjectivum *quale*, qui exprimit quoddam attributum seu necessariam subjecti proprietatem.

universalis; per modum *accidentis*, quia sapientia potest adesse et abesse, salva Petri essentia; per modum *universalis*, quia de pluribus potest prædicari.

§ III

Opiniones circa universalia.

Ex dictis facile videtur, universalium problema in Philosophia rem magni momenti esse; ex ejus enim solutione et clara comprehensione pendet etiam aliorum problematum, Philosophiæ magnam utilitatem afferentium, solutio et comprehensio. Necessarium ergo credimus, super hoc aliquantisper immorari, doctrinam hucusque allatam ampliare, singulares opiniones in medium adducere, lucemque per omnia diffundere, ut sic studiosus notionem claram et distinctam acquirere, et confusionem, in materia de qua agimus, effugere possit.

Duæ ergo sunt hujus problematis præcipuæ solutiones, et ad hæc duo ceteræ omnes reducuntur: solutio *nominalium*, et solutio *realistica*.

A) *Theoria nominalium.*

a) Solutio *nominalista* stricte sumpta statuit, nec naturas reales, nec conceptus universales existere; hanc autem *universalitatis* denominationem quibusdam tantum dictionibus convenire, ut cum dicitur *homo* vel *genus humanum*, quæ universales appellantur, quia multis individuis applicari possunt, tum collective, tum singillatim. Notum est, nominalismum, sic expositum, a Roscelim primo traditum fuisse, ab Ockan postea sæculo decimo quarto incipiente iterum productum, et a Hobbes et Locke postremo plus minus aperte adoptatum, et generatim ab asseclis naturalismi, qui cum nominalismo magnam habet affinitatem.

b) Nominalismum strictum theoria *conceptualista* sequitur, quæ illius modificatio dici potest; hæc enim ad conceptus internos applicat, quod ad dictiones seu vocabula no-

minalismus. Juxta hanc ergo theoriam, *universalitatis* denominatio conceptibus internis utique convenit, non autem rebus, quibus illi respondet, ex. gr., *homo* seu humanitas (género humano) conceptus quidem est universalis, non autem sic realitas per conceptum repræsentata. Generatim tribuitur Abelardo hæc conceptualista theoria, quamvis alias facile non sit veram illius sententiam in hac quæstione definire, propter loca ambigua et contradictoria, quæ in Abelardi scriptis inveniuntur.

Hodie etiam aliam conceptualismi speciem adsignare possumus et debemus, *conceptualismum*, scilicet, *kantianum* seu criticum; etenim, juxta Kant, entia realia, quæ relate ad nos existunt, illa tantum sunt, quæ effectum sensibilem in nobis producunt; categoriæ vero seu conceptus universales, qui præcipuam nostræ cognitionis materiam constituunt, nihil aliud sunt quam formæ subjectivæ realitate objectiva prorsus carentes, et sic in hujusmodi theoria omnis objectiva realitas negatur et rejicitur, vel saltem omnis naturarum universalium cognoscibilitas. Hæc theoria magnam affinitatem habet cum conceptualismo, cujus auctor Abelardus dicitur, et vix a conceptualismo kantiano discernitur nisi in diversitate originis conceptibus universalibus assignatæ, qui conceptus, juxta Abelardum, per abstractionem efformantur, juxta Kant vero in mente præexistunt.

B) *Theoria realista.*

Hujus theoriæ præcipuus scopus est statuere, naturas universales *a parte rei* seu extra mentem existere, sed cum hoc diversis modis intelligi possit, et diverso sensu explicari, hinc quatuor realismi species oriuntur, scilicet:

a) *Realismus moderatus.* Cum aliquam objectivam rationem intellectu nostro percipimus, vel aliquam essentiam seu perfectionem realem in variis individuis existentem, ex. gr., humanam essentiam verbo *homo* significatam, hæc essentia vere et proprie in individuis tantum existit, et quidem differentiis individualibus modificata; at vero intellectus noster sua innata et abstractiva vi percipere potest, et revera perci-

pit ipsam eandem essentiam realem, quæ in Socrate existit, a differentiis individualibus et singularibus, quæ in Socrate habet separatam; hæ autem differentiæ partes sunt quidem Socratis ut individui, non vero essentiæ humanæ in abstracto consideratae. Hæc abstracta essentia, sic præcisis differentiis individualibus percepta, percipitur consequenter ut una, et universalis, et ut indifferens ad multa individua constituenda; sic ab intellectu nostro percepta ut una in multis, prædicatur vere et realiter de multis, ut cum dicimus: *Socrates est homo, Plato est homo*. Exemplum accipe perspicuitatis gratia. Color et durities sunt duæ rei qualitates: hæ qualitates in pomo, v. gr., junctæ sunt simul in eodem existentes et naturaliter inseparabiles; attamen in pomo sensibus nostris objecto visus colorem percipit, duritiem non percipit: percipit ergo anima nostra colorem in re existentem, non autem modum, quo existit, existit enim color duritiei inseparabiliter unitus, anima autem separatim eum percipit. Sic ergo, servata proportione vel differentia inter sensibilitatem et intelligentiam, hæc percipit realem naturam extra mentem existentem, ast eam percipit absque differentiis vel conditionibus, quibuscum in individuo existit unita, et consequenter eam percipit ut unam et universalem¹. Natura, ut universalis percepta, extra mentem realiter existit; universalitas autem

¹ Hoc exemplum vix distinguitur ab allato a D. Thoma his verbis: «Et hoc possumus videre per simile in sensu. Visus enim videt colorem pomi sine ejus odore. Si ergo quærat, ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est, quod color, qui videtur non est nisi in pomo; sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, in quantum in visu est similitudo coloris et non odoris. Similiter, humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc vel illo homine; sed quod humanitas, apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsam abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo speciei (*naturæ specificæ*) et non individualium principiorum». *Sum. Theol.*, p. 1.^a, cwest. 85, art. 2.^o

vel modus eam percipiendi præcisis singularibus differentiis, quibus in individuo unitur, extra mentem non existit, sed hoc ex naturali vi procedit nostri intellectus et ex peculiari modo, quo res cognoscit; hoc est ergo, quod vocatur *universalitas vel intentio universalitatis*.

b) Ex adverso realismi moderati sic expositi, qui in realismi theoria primum locum obtinet, habemus realismum platonium. Cum certum sit, res omnes materiales et sensibiles continuis mutationibus subjacere, et cum scientia existere non possit sine objecto, quod sit immutabile, necessarium et æternum, admittere oportet, essentias, quæ scientiæ et intellectualis cognitionis sunt objecta, esse debere essentias per se et in se subsistentes et consequenter extra individua. Individua autem sunt derivationes et participationes concretæ illarum essentiarum, quæ extra individua sunt, absque differentiis et mutationibus, quibus individua subjiciuntur, et ex hoc intrinsece et realiter universales.

Dicitur platonius hujusmodi realismus, quia Plato ejus auctor esse creditur ab Aristotele¹, quem secuti sunt D. Thomas et scholasticorum major pars, quamvis S. Agustinus et alii veteres et recentiores censeant, Platonem intelligere per

¹ Textus Stagiritæ in hac re clarior esse nequit. «Post dictas vero philosophias disciplina Platonis supervenit, in plerisque quidem istos secuta, quædam autem etiam propria præter Italicorum habens philosophiam. Cum Cratylo namque a puero conversatus, et Heracliti opinionibus assuetus, tamquam omnibus sensibilibus semper fluentibus, et de eis non existente scientia, hæc quidem etiam postea ita arbitratus est. Cum vero Socrates de moralibus quidem tractaret, de tota vero natura nihil, in his tamen universale quæreret, et primus mentem ad definitionem applicaret, illum ob hoc laudans, putavit, de aliis et non de aliquo sensibilibus hoc fieri; impossibilem enim definitionem communem cujuscumque sensibilibus esse, quæ semper mutantur: et sic talia entium ideas appellavit; sensibilia vero præter hæc, et secundum hæc, omnia dici secundum participationem». *Metaphysic.*, lib. 1, c. 6.^o

essentias a materia et individuis separatas ideas rerum arquetipas, ut in mente divina existunt⁴, ita ut quodam modo conveniat theoria platonica cum doctrina christiana in ordine ad ideas divinas.

c) *Realismus ontologicus*. Asseritur in hac theoria, naturas universales, quæ scientiæ et intellectualis cognitionis objectum constituunt, nequaquam esse essentias vel naturas, quæ in mundo creato et extra mentem existunt, sed ideas exemplares et æternas essentiarum in mente divina existentes. Ontologistarum systemata omnia hanc realismi speciem in se velut in germine continent, licet, attentis eorum diversis modificationibus et speciebus, diversa videantur.

d) *Realismus empiricus*. Juxta systema hocce dicere oportet, naturas universales, etiam sub conceptu universalitatis consideratas, in individuis existere, ita ut una eademque humanitas vel natura humana sit in Petro, Paulo, Joanne, etc., quapropter individua sunt tantum modi, vel phases accidentales ipsius essentiæ, quæ in sua unitate omnium eorum intimum et commune esse constituit. Hoc realismi genus

⁴ Habet quidem hæc opinio suam probabilitatem, primam autem credimus multo probabiliorem. Certe inficiari non potest, Platonem aliquoties videri divino intellectui has ideas seu essentias æternas tribuere; attamen docuisse doctrinam, quam Aristoteles et D. Thomas illi assignant, satis clare colligitur ex pluribus locis, in quibus suam mentem aperte declarat, sicut etiam ex ejus circa *cognitionem* generali doctrina.

Possibile est quidem, Socratis discipulum circa suam propriam theoriam aliquamdiu nutasse, vel, ipsum lectorum turbæ suam mentem celare, sibi proposuisse. Quocumque modo se res habeat, Aristotelis textus in re, de qua agimus, magna gaudent auctoritate; agitur enim de eximio philosopho, qui per annos viginti discipulus Platonis fuit, et ad sui præceptoris mentem cognoscendam acutissimo ingenio præditus, qui coram, ut ita dicam, ipso magistro Athenis publice docebat et etiam coram ipsius Platonis discipulis, qui certe de mendacio illum edarguissent, si veram et genuinam magistri doctrinam non tradidisset.

realismum pantheisticum redolet, ut patet, admitit enim essentiam unicam ab individuis accidentaliter modificatam, ita ut sub hoc respectu realismus pantheisticus dici debeat; sicut ei convenit realismi empirici denominatio, quatenus universalitatem seu naturam communem et unam in omnibus individuis ponit. Hæc realismi theoria, saltem in sua empirica phasi, Gilberto de la Poiree auctori tribuitur. Quidam etiam inter hujus realismi sectatores Guilielmum de Champeaux enumerant; absque sufficienti ratione tamen, cum probabile sit, Guilielmum, postquam per aliquod tempus cum quadam fluctuatione sese explicuit, postea realismum moderatum firmiter et determinate adoptasse.

Propinquior theoriæ realismi empirici est doctrina Scoti, juxta quam naturæ et sunt et dici debent universales formaliter in se et per se, hoc est, citra omnem intellectus actionem et ante omnem ejusdem considerationem, quamvis in individuis tantum et per individua existant.

SCHOLIUM PRIMUM

Quia enuntiationis veritas esse rei consequitur, et ex eo pendet, universale, quod est *unum in multis*, de multis quoque enuntiaripotest: qua ratione *prædicabilitas* tanquam proprietas universalium habetur.

Æternitas etiam negativa merito connumeratur inter proprietates universalium; naturæ namque universales, quales, abstrahunt ab existentia, ac proinde ab omni temporis differentia et duratione; quod sufficit ad hoc, quod res denominetur æterna *negativa*: siquidem *positiva* æterna res aliqua tunc dicitur, quando ejus existentia actualis omnes temporis differentias et durationem ambit, includit et superat, quod solius Dei proprium est. Unde, si naturæ universales accipiantur pro earumdem typis in mente divina existentibus, æternitatem etiam positivam sibi vindicant.